

R H Æ T I A

F O E D E R A T A

cum terris ei subditis.



H Æ T I A nomen suum à Rhæto, Thuscum Duce, sortita est, qui à Gallis Italiam *Rhæti unde ori-* invadentibus agro suo inter Alpes & Padum jacente pulsi, Rhæto Duce in altissimos montes, populosque Alpinos Tauriscos se contulerunt. Quibus associati in Valle Tumiliasca (quæ à pago Tumilio tumuloque eminenti prope castrum Ottenstein sic dicta est) oppidum condidere, quod à patriæ jam derelictæ nomine Tusciam (Tusfanam) vocaverunt, uti etiam tria castra, in honorem Ducis sui Rhæti, Rhætiam altam, Rhætiam imam, & Rhætium, nec non arces alias complures. At horum posterius asperitate forte aeris & montium acriores facti, nullam dilatandorum finium occasionem neglexere, verum occupatis Athesis Abduæque fontibus mox secundæ fortunæ aura elatiores ulterius progressi

sunt ad utrumque lacum, Acronium nempe, hodie Bodanicum, & Ripanum, seu Walenstadiensem; & ab altero latere Comum, Veronam, Tridentum usque. Ac sic factum, ut caput Rhæticiæ gentis Tridentum fuerit, uti *Latius olim* post Vindelicorum, Augusta, vastissimisque spatiis habitaverint Rhæti, quorum longitudo inter Rheni & Plavis *rexere.* amnium fontes milliaria complectebatur circiter ducenta: latitudo vero inter Schuazium oppidum & Veronam, centum & viginti Italica. Domiti postea victique fuere ab Augusto, exercitus in eos ducentibus Druso & Tiberio Augusti privignis. Inalpine autem Rhæti, ad originem Rheni & Oeni confidentes, non omnino victi, sed tantum hinc inde palantes repressi fuere. At imperio Romano deficiente, Gottisque, & Longobardis ac Hunnis misere Italiam vastantibus eandem belli fortunam, cum Italis experti fuere. Anno siquidem I O C L X X X regnante Childerico Francorum rege, Hunni inter alias regiones Rhætiam quoque usque ad Disertinum Monasterium crudeliter ferro & igne depopulati sunt.

Cum autem inter status & Respublicas, federa, ad conservandam *ἀντινομίαν*, liberamque juris administra- *Federum initia* tionem, ac propellendam hostium vim, iniri soleant: gens quoque Rhætica diversa cum diversis, pro ut se da- *& progressus.* bant occasiones, federa sanxere.

Anno C I O C C L X X I I Fredericus, è Comitum Montfortiorum familia, Episcopus Curienfis, fedus cum Petro Episcopo Sedunensi iniit. Anno c i o c c c c Iohannes Abbas Disertinensis cum Capitulo & Communitatibus Abbatiae: Vldericus Brunus, Baro Rhætii, cum filiis Iohanne, Henrico, & Huldericho, alique cum aliis federa stabilivere. Anno c i o c c c c i i pax inter Episcopum Curiensem ejusque Cathedralis, & Glaronam, Suitiam, Englibuoch & Agriam stabilita fuit. Cumque Rhæticiæ status propter plurimorum Regulorum violenta imperia, mæere vexaretur, provectiores aliqui ac optimates Rhætorum perpetuum inter se foedus pepigere in pago Troni, quod *Gryseum* ab illo tempore dictum fuit, factumque id anno c i o c c c c x x i v. *Cathedrales* quoque Communitates aliquot, primum certis formulis se mutuo obstrinxerunt, ac postea Federi Gryfæo se junxerunt. Hoc ipsum cum civitate Curienfi & Quatuor pagicis (de Vierdorfer) fedus feriit. At *Decem Iurisdictionum* homines, ut tuti magis essent unita vi, in commune quoque fedus ac mutuum patrociniū consenserunt. Nec ita diu post cum Cathedralibus, & paulo post cum Gryfæis anno C I O C C C C L X X I se junxerunt.

Eodem anno omnia Tria Federa indissolubili nexu, liberrimæ *ἀντινομίας* ergo in perpetuum se colligavere; in loco Bellofertenfis jurisdictionis, *Vazerolo*. Accessere aliquot post annis Vallis Tellina, Comitatus Clavennæ & Dominium Bormii, armis Rhætorum subacta, cum ea suæ esse ditionis & juris prætenderent.

Rhæti ergo Grifones Trium Federum, jam pacati possessores harum regionum facti anno M D X X X in festo D. Matthæi Foedus suum perpetuum ampliori forma comprehenderunt, sanctione addita, ut singulis duodecim annis juramento renovetur.

Hujus itaque Rhæticiæ Inalpinæ Confederatæ, subditarumque ei terrarum termini hi sunt. Ab Oriente habitant Vennonenses (Vallis Venosta) quo loci inter Monasterium (Munster) pagum, & Tuberium (*Taufers*) crux terminalis est. Jurisdictio tamen civilis Rhætica, ulterius abit, multis Federatis Rhætis extra dictum terminum habitantibus. Præterea ab eadem plaga Oenanos (Inthaler) vicinos habent; quo loco Rhætia, à sinistro latere, usque ad Pontem Martini extenditur: à dextero autem latere ea patet, usque ad rivum, *Schergerbach* dictum, qui communis terminus est. A Solis denique Ortu Vicinas quoque agnoscit Vallem Silviam, & Vallem Solis, ubi summi montium vertices pro limite sunt. Ab Occidente porro Rhæticiæ Federatæ adjacet Comitatus Beltionensis: ubi rivulus de Lumino, & summitates Grainæ & Lucumonis (qui nunc Sanctorum, Mariæ & Barnabæ nominibus notus est) & denique Crispaltæ, Vepchæ, Mærchæ, terminum ponunt. A meridie Rhætis Federatis contermini sunt, primo, Larii lacus accolæ. In planitie, à Vallis Tellinæ parte, infra pagum Plantedium locus est, *Il Sanchietto* dictus, qui per rectam lineam crepidinem montis in cacumen secat: hinc Abdua: à parte Comitatus Clavennæ; in continenti quidem, locus ad lacum Mezolæ est, *La Porta*: in lacu vero ipso Mezolæ, seu Clavennæ, saxum supra Datium, *Il Sasso d' Olciafco* dictum: Præterea cacumina montium Vallis Saxeæ, Mediolanensis Ducatus, & jugum montium, verticesque Vallis Brembanæ, Serianæ, & Scalviæ, Bergomatum; & Vallis Camonica; Brixienfium; Venetæ ditionis populorum. Septentrionale latus ab una parte claudunt cacumina Rhæticonis montis; à cujus tergo Montefuniani, Austriacæ ditionis, habitant: in planitie vero Fons S. Catharinæ, infra clivum S. Lucii ab Estionibus Valledulcianis, Comiti ab alto Amisio parentibus, Rhætiam federatam interfecat. A parte vero altera cum exigua rupe aliquantum infra pontem Rheni regiæ viæ imminente, sursumque in summitatem montis S. Margaretæ tendente; tum inferius, ipso Rheno flumine à vicino Comitatu Sarunetum, terminatur. Atque horum limitum ubique certi termini positi extant:

Alpinæ seu Fœderatæ
RHAETIAE
SUBDITARUMQUE
ei Terrarum nova
descriptio.

Auctoribus

Fortunato Sprehero à Berneck. Cq. aur. & IVD. Ret.
AC PHIL. CLUVERIO.

Nobilitate, eruditione & virtute Clarissimo viro,
D. HADRIANO PAUW EQUIITI, DOMINO DE
HEEMSTEDE, CONSILIARIO ET SYNDICO
REIPUBLICÆ AMSTELODAMENSIS, CURATORI
ACADEMIÆ LUGDUNO BATAVÆ. HANC SUAM
DE NOVO AUCTAM TABULAM RHETIÆ D.D.

Expositio notarum.
• Urbes; Stæte.
• Fora; Haupt stæcken.
• Arces; Schloßer.
• Canobia; Chlöster.
• Vici; Dörfer.

Milliaria Rhetica; quorum singula duarum conficiuntur
horum spatii ab expedito pedite; 12 verd const 1 gradui
Milliaria Italica; quorum 60 conficiunt unum gradum.



R H Æ T I A F O E D E R A T A .

Figura.

Figura Rhætiae similis est formæ piscis soleæ, seu passeris marini extensi, Germani *Platteisli* vocant. Mons est situs inter Amisium, Scheidium, & Umbilicum, in cujus cacumine Tria Federa collimant. de quibus distinctius jam loquendum.

Fedus Gryseum.

Fedus Gryseum, quod etiam ratione situs superius vocant, octo conventus magnos habet. Iurisdictiones minores olim erant x x i i. Nunc vero numerantur x x i i i, postquam videlicet Alto-Trinum à Taminio separatum est. Ac totidem etiam sunt Ministeriales. Ordinem in Comitibus Trium federum, quoad præminentiam, hunc servant: Disertinum, Vallis Leguntina, (Longonezza) Fovea, (Ilantii & Davosii, in Comitibus, Foveani Leguntinos; Troni vero & Curia, Leguntini Foveanos præcedunt) Flemium, Vurtium, Rhætium, Superfaxum Federis Grysei, Laaxium, Vallis Rheni, Sexamnum, Thuscia, Montana, Sclevenium, Altum Trinum, seu Trimonium, Taminium, Vallis S. Petri, Stussavia, Cepina, Tenna, Misacum, Rogoretum & Calacha.

Fedus Cathedralis.

Federis Cathedralis, seu Domus Dei, ut appellant, undecim Conventus magni sunt: Iurisdictiones vero viginti & una. Ordo in Comitibus generalibus hic est: Curia civitas, quæ Præsidentem federis habet, Vallis Prægallia, Furstenovienfis, Iurisdicatio in Tomiliafca, supra Saxum cum imo Castro, Engadina superior, Ortensteniana, Iurisdicatio in Tomiliafca, Engadina inferior, Bergunium, Vatum superius, Quatuor-pagici, seu viciniæ, Pefclavi-um, Eremusium, Bivium, Aversa, & Vallis monasterii.

Fedus decem Iurisdictionum.

Decem Iurisdictionum fedus ita dictum est, quod, cum septem tantum Conventus magni sint, tamen trium posteriorum quilibet in duas minores Iurisdictiones dividatur, quarum una, Alvonovana, hodie in duas quoque alias subdivisa est, ita ut sint x i Iurisdictiones. Ordo in Comitibus talis. Davosium, quod Præsidentem federis habet: Vallis Rhetigoja, ubi tres Conventus magni, Coenobianus, Castellenfis, & Aceriensis, cum Lacupratenfi: Dominium Mariaevillæ, (*Majensfeld*) sub quo Malanum & Majevilla; Alvonovum, quod in Lantianam & Alvonovanam Iurisdictionem divisum est: *Churwalden* seu Corvantium: Vallis Scanavica ad eadem S. Petri & pratum longum. In publicis generalibus Trium Federum Comitibus, ex Gryseis oratores viginti octo: & Cathedralibus viginti quatuor: ex Decem Iurisdictionibus quindecim sunt. Sed quæ concernunt Domina ac-quisita, aut acquirenda, cum omnibus suis iuribus, accessoriis & emolumentis, iis æqualibus portionibus Tria Fe-dera (ex tenore literarum Federis) fruuntur & interveniunt.

Vallis Tellina.

His tribus Federibus subsunt Volturena sive Vallis Tellina, Clavenna, Bormium. Volturenæ ea est amoenitas, & fertilitas, ut palmam inter omnes Europæ Valles, scriptorum consensu, jamdudum obtinuerit. Ex antiquis elegantissima brevitate eam describit Enodius, Episcopus Ticinensis, in vita B. Antonii Monachi Lirinensis, his verbis: Antonium nostrum famuli ad Italiæ partes, Christo duce, perducunt. Principe loco Vallem-Tellinam ingreditur, quam montium ex utroque latere brachiis fabricata ditat amoenitas: & de verticibus secundis animum plebis locupletat: at uber solum quod avaris respondet, juxta desideria immoderata, cultoribus, non tamen ita aristis prægravidum, aut dotatum pascuis, aut arbutis compositum, aut fluminibus lætum: ut non plus super-venientis personæ gratia præstaret, quam ipsius regionis distincta & variata formositas. Situs ejus secundum longitudinem ad pedem summorum Rhætiae montium est: unde flumina Italiam petentia scaturiunt, ex quibus Abdua Bormiense Dominium, & Vallem Tellinam totam perfluit, & mediam interfecat. Ab Oriente sunt Rhæti Vallis Monasterii, Vallis Stilviæ, Tyrolensis Comitatus, & Vallis Solis incolæ: à Meridie, Camuni & Bergomates, Venetæ ditionis: Occidentem versus Larii lacus accolæ: ad Septentrionem, Pefclavienses, Engadini, & Prægalli Rhæti. Longitudo ejus juxta Abduam est sexaginta miliarium Italicorum: quæ decem Germanica efficiunt. Latitudo varia, nam juxta S. Britium in Bormiensi; ad S. Iacobum in Tiliensi, ad S. Mariam ad Saxellam, in Sondriensi, & ad S. Gregorium in Morbeniensi, & Trahonensi jurisdictione, in ostia satis angusta restringitur.

Dominium Bormio.

Dominium Bormii, in summitate, juxta fontem Abduæ situm, dividitur in quinque vicinias seu Communitates minores. Prima, Bormium, oppidum ipsum, unde regioni nomen: Secunda, Vallis Forba: tertia Vallis interior, ubi Primadium, & Vallis Pedenucis: quarta Vallis inferior, ubi Cepina; quinta Vallis Luvinium. In Valle Tellina tria tertiaria sunt, & communitas *Tilium*, unde Valli nomen, quæ nulli tertiario inserta. Tertiarium superius undecim habet communitates, i Tiranum, i i Sondalum, i i i Grossium, i v Grossubtum, v Ver-vium, v i Matium, v i i Tovum, v i i i Luverum, i x Servium, x Villa & Stazona, x i Blanzonum.

Sequitur Communitas Tili, quæ in triginta sex Contratulas, ut vocant, dividi solet.

Medium Tertiarium x v i i Communitates habet. i Sondrium. i i Pontum, i i i Clurium, i v Trixi-vium, v Mons aquæ, v i Montanea, v i i Castionum, v i i i Postalesium, i x Berbennum, x Buffettum, x i Plateda, x i i Faedum, x i i i Albosagia, x i v Cajolum, x v Cidrascum, x v i Fusinæ, x v i i Colorina. In tertiario inferiori duæ Squadræ, Abdua terminante, sunt Morbeniensis, & Trahonensis. Morbenien-sis x i i Communitatibus subdivisa est, i Morbennium, i i Communitas Furcula, i i i Talamona, i v Bema, v Albaredum, v i Gerola, v i i Pedesina, v i i i Rasura, i x Cosium, x Rogolum, x i Alebium, x i i Plantedium.

Trahonensi undecim quoque distinctæ sunt communitates, i Trahona, i i Bulium, i i i Ardennum, i v Datium, v Clivium, v i Mellum, v i i Cercunum, v i i i Civum, i x Campus vicus, x Mantellum, x i Dubinum.

Clavennæ Co-mitatus.

Clavennensis Comitatus, quem annis Meira fecat, longitudinem quindecim miliarium Italicorum com-plet, trium nempe Germanicorum. Latitudo varia, nam longe juxta Lirum amnem, in vallem Iaco-bi se extendit. Vallis satis angusta. Orientales habet vicinos Prægallios, Occidentales Misacos, & La-rii lacus accolas: à Meridie Boccam Costium, Abduæ finitimos: à Septentrione, Vallis Rhenanos & Aven-senses, Rhætos.

Dividitur totus Comitatus in quatuor partes, i Clavenna oppidum, i i Plurium oppidum, quod per-ii anno M DC XVIII, sed viciniæ eo pertinentes sunt Villa, & aliæ, i i i Vallis S. Iacobi, quæ in duodecim quaternarios subdividitur. Et i v Communitates exteriores quinque, i Novatum, i i Prada, i i i Mese, i v Gordona, v Samolicum. Postremis hisce annis maximis motibus bellisque civilibus Rhætia concussa attri-taque fuit, quæ tandem auspiciis Urbani v i i i P. M. Christianissimi Galliarum Regis *Lodovici* x i i i, Serenif-simæ reipub. Venetæ, nec non Ducis Sabaudia Caroli Emanuelis, composita sunt. Eorum historiam accuratam edidit, Fortunatus Spreckherus, à Berneck, I. V. D. Eques Auratus, editam Colonie Allobrogum anno 1629.